

*104. Instrumentum donationis di
Andrea notarii Roberti di Potenza in
favore della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*104. Instrumentum donationis di
Andrea notarii Roberti di Potenza in
favore della chiesa della Ss. Trinità*

1416-09-27

(c. 306v) In Dei nomine amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quatricentesimo decimo sexto, regnantibus inclitis et serenissimis dominis domino Iacobo et domina Iohanna secunda Dei gratia Ungarie, Ierusalem et Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque rege <et regina>, Marchie castrensis, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis comitibus, regnorum vero ditti regis anno secundo et ditte domine regine anno tertio feliciter amen, apud civitatem Potentie, die vicesimo septimo mensis septembris, anni decime inditionis.

Nos Antonellus de Lauro de eadem civitate Potentie annalis // (c. 307r) iudex ipsius civitatis huius presentis anni decime inditionis, Antonius Grecus de Tito habitator ditte civitatis, publicus ubilibet per totum regnum Sicilie regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto donationis puplico instrumento fatemur, notumfacimus atque testamur quod pretitulato die in nostrum qui supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia constitutus vir venerabilis domnus Andreas notarii Roberti de preditta civitate Potentie ac cantoris <sic> civitatis ipsius, consentiens prius et ante omnia in nos predittos iudicem et notarium ut in suos expresse, cum scirent <sic> ex certa eorum <sic> scientia nos suos iudicem et notarium in hac parte non esse, nostram iurisdictionem et officium in hiis voluntarie prorogando et in se dittus vir venerabilis domnus Andreas cantor ut supra diligenter advertens quod in hac vita cuncta transitoria pereunt et ea in hoc mundo tantum remanerent que piis religiosis locis et ecclesiis pro salute anime fideliter erogantur et amplius considerans

lubricum humane fragilitatis et anelans anime sue ex hiis proficere ad quietem, obtinendam et ingentem devotionem quam semper a sue pubertatis origine ipse domnus Andreas habuit et habet ad presens, venerabili ecclesie Sante Trinitatis de eadem civitate Potentie ac site et posite intus eandem civitatem, sine dolo, fraude, vi, metu seu inpressione aliqua deceptiva vel malignativa quacumque remota, ipse domnus Andreas qui supra luminarie «eiusdem» ecclesie ditte Sante Trinitatis solemniter et legitime, cum // (c. 307v) omni iuris et facti sollemnitate propter recompensationem beneficiorum habitorum ab eadem ecclesia Trinitatis, maiorem restitutionis condigna, donavit donationis titulo inrevocabiliter inter vivos ditte luminarie Sante Trinitatis ibidem presente magistro Ioanne de Mamula de Ansia habitatore ditte civitatis, procurator procuratorio nomine et pro parte ditte ecclesie ac nomine et pro parte ditte ecclesie Sante Trinitatis, ut dixit, volente et recipiente nomine et pro parte luminarie ditte ecclesie Sante Trinitatis, omnes et singulas terras sui territorii, quas dixit tenere et possidere realiter, pacifice, bona fide et quiete ac pleno iure, sitas et positas in territorio affate civitatis Potentie, in contrata que dicitur Pumarii, suis loco et finibus designatas ac etiam in contrata Rivissi et vallonis ditti Rivissi citra versus dictam civitatem Potentie, iuxta terras ditte ecclesie Sante Trinitatis «et fines alios si quos habet, mediante vallone Pumarii superiori parte versus serram ubi est fons qui dicitur Maccarone et a dicto fonte usque ad serram prope terram heredum Leonardi de Aivena mediante limite comuni, ab alia parte iuxta territorium Iacobi Curialis et alios fines si quos habet mediante lim[ite comuni] a parte inferiori iuxta territorium dicte ecclesie Trinitatis»

descendendo a vallonis ditti Rivissi et ad silam Angeli de Salandra mediante vallone, pro se vallonum Rivissi et ascendit usque ad viam qua itur ad machiam Santi Lazari et protendit usque ad terram beneficii diaconi Angeli Curosi; item terras omnes alias que sunt in contrata Machitelle mediante vallone Marle Iaquetti, suptus et supra dittam motticellam et ab alio latere est rivulus et de omni latere sunt terre ditti condam Angeli de Malandia; inter ditte terre largitus <sic> per eum domnum Andream suam a vallone ditti Rivissi et ascendit <sic> usque ad // (c. 308r) vallonem Pumatim citra et ultra et usque ad terras heredum Nicolai de Tito limite comuni mediante et a ditto latere ditti vallonis tenet Petrillus de Iusualdo de Potentia et a tertio latere iuxta territorium Angeli de Salandra, mediante limite comuni; iuxta terram unam aliam in eadem contrata, in loco ubi dicitur Torretta de Pomario, supra viam qua itur ad machiam Iaquetti, capacitatis in semine tumulorum otto, ut dixerunt, circumdatam territoriis santi Angeli de Salandra; iuxta terram unam aliam ibidem prope Torrettam Pumati, iuxta vallonem, iuxta terras archpresbiteri Santi Girardi mediante vallone et a superiori parte iuxta terram santi Lazari et ab alio latere iuxta terras ditti Angeli de Salandra, que ascendit usque ad viam qua itur ad Vilianum sive ad Torrettam et iuxta alios fines si quos habent, ut dixerunt; item donavit eidem luminarie domum unam cum <uno> alio membro insimul coniunto, censuatam per eumdem donatarium a preditta ecclesia vita sua durante, censu sive reddito anno quolibet pretio seu pretii nomine tarenì unius et per eumdem donatarium ad efficaciam ratificatione nova, sitam et positam intus dittam civitatem Potentie in parrochia ditte ecclesie Sante Trinitatis, suis loco et finibus

designatam, iuxta ortum ipsius donatarii, iuxta ortum notarii Tomasii Strambi mediante quintana peuvinali, iuxta viam publicam et alios fines si quos habet. Quas quidem terras et domum cum fruttibus et pertinentiis // (c. 308v) suis omnibus prefatus domnus Andreas donatarius dixit et coram nobis suo sacramento firmavit iuste, rationabiliter, pacifice et quiete ac pleno iure tenere, <habere> et possidere realiter et pleno iure, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis quibuscumque ad terras ipsas omnes et domum largitas modo predicto quomodolibet spettantibus et pertinentibus, quocumque titulo sive modo ad habendum, tenendum per eundem procuratorem vel alterum nomine ditte ecclesie ac nomine et pro parte ditte luminarie dominandum, utfruendum et possidendum, vendendum et alienandum, asserens et reservans propter nimiam et decrepitam etatem prefatus domnus Andreas donatarius fructus et redditus dittarum terrarum et domus vita sua durante, quibus terris et domo vult tantum modo utifrui ditte vita sua durante et deinde in antea faciendum quicquid et omne quod ipsi ecclesie vel eius procuratori videbitur et melius visum fuerit; cedens et transferens eidem domnus Andreas donatarius in eundem magistrum Ioannem procuratorem eius ecclesie, presentem et recipientem pro parte ditte ecclesie sive luminarie, omne ius omnemque attionem realem et personalem, directam seu mixtam et item rescriptum et officium iudicis quod et quam haberet et habet et habere posset et sibi quomodolibet pertinerent in dittis terris et domo et membris donatis sive concessis per eundem domnum Andream ipsam ecclesiam in rem suam, dans et concedens // (c. 309r) eidem procuratori nomine et pro parte ditte ecclesie omnimodam et plenariam potestatem terras ipsas

omnes et domum cum membris suis et pertinentiis omnibus autoritate propria, sine iuxta iudicis et decreto curie seu pretoris, sed solum presentis instrumenti vigore capiendi, apprehendendi, retinendi et possidendi donec terre ipse et domus extendentur quingentorum aureorum et non sit nec censeatur una donatio, sed censeantur et dicantur tot donationes quot sunt res particulares ipsarum, ita quod huiusmodi donationi non sit necessaria insinuatio sed quod donatio ipsa per quodlibet ingratitudinis vitium revocari non possit; quam donationem, traditionem et assignationem ac omnia alia et singula in presenti instrumento contenta, promisit et convenit idem domnus Andreas donatarius per legitimam et solemnem stipulationem ditto magistro Ioanni procuratori, presenti et stipulanti nomine et pro parte ditte luminarie, omni tempore habere, tenere, attendere et tenaciter et inviolabiliter observare et non contrafacere vel venire, dicere et opponere, de iure vel de facto, in iudicio sive extra, aliqua ratione, causa, publice vel occulte, per se suosque heredes aut aliquos eius nomine, sub obligatione heredum et successorum eius ac omnium et singulorum bonorum <suorum> mobilium et stabilium seseque moventium, habitorum et habendorum, ubicumque sitorum et positorum et ad penam unciarum viginti quinque, medietate ipsius pene episcopali curie vel alteri // (c. 309v) curie cuiuscumque curie competenti ubi fatta fuerit reclamatio sive querela et altera medietate silicet ipsius <ipisius pene> ecclesie vel eius procuratori, nomine et pro parte ditte ecclesie seu alteri nomine et pro parte ipsius persolvenda, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dittarum curiarum ac ditto domno Andrea donatario pro se et suis heredibus pro parte

ipsius ecclesie et eius procuratore legitimo penam ipsam solemniter et legitime stipulantibus; qua pena toties committatur et exigi valeat cum effectu a ditto domno Andrea et heredibus et successoribus suis quotiens contra predicta modo aliquo <fuerit> contraventum ditteque pena commissa vel non commissa, exatta vel non exatta aut gratiose remissa, predicta omnia et eorum singula in suo semper robore permaneant et perseverent cum refettione omnium dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento ditti procuratoris vel alterius nomine et pro parte ditte ecclesie seu luminarie supraditte, nulla alia probatione quesita; et renuntiavit dittus domnus Andreas donatarius ditto magistro Ioanni procuratori, procuratorio nomine et pro parte ditte ecclesie, ut dixit, presenti et stipulanti super predictis et quolibet predictorum expresse, ex certa eius scientia, exceptioni doli mali, vis, metus // (c. 310r) et infattum, rei alio modo geste ut superius et inferius continetur, beneficio restitutionis in integrum, exceptioni non receptorum et prestitorum beneficiorum et meritorum ipsorum, non fatte, non secute realiter donationis, traditionis et assignationis predittarum terrarum et domus cum membris et pertinentiis suis omnibus in ipsis terris et domo intrandi atque exeundi, legi dicenti ultra quingentos aureos sine insinuatione fatta non valere, litteris, privilegiis, cedulis et rescriptis quomodolibet inpetratis et inpetrandis omnibusque auxiliis et beneficiis aliis iuribus, exceptionibus, allegationibus et defensionibus iuris et fatti, iuri dicenti generalem renuntiationem non valere, cum omnibus renuntiationibus ac oportunis clausulis omnium iurium atque legum canonicarum vel civilium que

in talibus et super talibus rationabiliter et de iure requiruntur expresse, et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere quod predicto iuri renunciari non possit, quibus idem dominus Andreas donatarius predittam donationem possit infringi et quomodolibet annullare; certioratus prius, ut dixit, de iuribus ipsis et effectibus eorundem et quod preditta omnia vera sunt et attendendis et observandis eisdem et pro quorum maiori observantia et roboris firmitate pleniori, prefatus dominus Andreas // (c. 310v) donatarius ut predicatur ditto magistro Ioanni procuratori ditte ecclesie presenti et recipienti coram nobis corporale prestitit ad santa Dei evangelia iuramentum, cum debita reservatione superius fatta de percipiendis et habendis fructibus et redditibus dittarum terrarum et domus, cum membris predittis, ditte sua vita durante; atto expresse inter ipsos quod licet in presenti instrumento donationis iura ipsa seu ex(ceptio)nes et renuntiationes et alia que de iure debentur non sunt specificice declarata vel annotata, tacite subintelligantur in eo et habeantur pro expressis positis, stipulatis sive dittis et annotatis, volens et rogans dittus dominus Andreas una simul cum ditto magistro Ioanne procuratore ditte ecclesie quod ad eternam rei memoriam et cautelam perpetuam ditte ecclesie Sante Trinitatis ac procuratorum et successorum eiusdem conficere deberemus exinde publicum instrumentum, cum adiunctionibus et clausulis oportunis quibus magis omnia et singula in presenti instrumento contenta sortiri valeant efficaciam et roboris firmitatem quas donec ad instantiam voluerunt haberi si deessent <pro particularibus apposis et expressis quod possit fieri et> et refici, corrigi et mutari et emendari semel et pluries quotiens opus erit, ipso domno Andrea donatario

inconsulto et non requisito etiam post quam iam fattum instrumentum esset in iudicio presentatum ad laudem et consilium sapientis per dittam ecclesiam vel eius procuratorem eligendi, // (c. 311r) veritatis substantia non mutata. Ad ipsius igitur domni Andree donatarii simul cum ditto magistro Ioanne procuratore instantiam et rogatum presens exinde confecimus instrumentum publicum, signis et subscriptionibus qui supra iudicis et subscriptorum testium roboratum.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

A remaneant
 A ob reverenciam
 A malignitate
 A maiori retributione
 A isclam
 A prope
 A maclam
 A Ciccosi
 A macle
 A Macchitellam

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

A Salandra

A item

A sunt

A Roto

A ab alio

A item

A Cerreta *qui e in seguito*

A dicti

A item

A Avilianum

A edificatam

A edificatione

A domum

A pluviali

12

25

26

27

28

29

Quod scripsi ego prefatus notarius Antonius publicus ut
supra premissis omnibus rogatus et vocatus interfui et
meo solito signo signavi. (SN) † Ego Antonius de Lavia
iudex civitatis Potentie qui supra † Ego Rumbulotta
Gervasius de Sartano testis sum † Ego Nicolaus de
Canarro testis interfui † Ego donnus Cominus de
Potentia interfui † Ego Rogerius de Stella testis interfui

30

31

A finibus

A in rem scriptam

A recipienti

A iuribus

A expectationibus

A Lauro

A Satriano